



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ Præcones

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§.5. Inundationes extraordinariæ aquaru[m] ostendunt, quantum sit
beneficium ordinaria cohibitio aquarum ne inundent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

ad prudentiam, neque securiori licentia tor-
pere permittit.

§. V.

Inundationes extraordinaria aquarum ostendunt, quantum sit beneficium ordinaria cohibitio aquarum, ne inundent.

Altera, contra aquas, querela, inundationes, diluuvia, populationes, & laxata fluminibus marique ipsi frœna accusat. His enim

Ouid. l. 1.
Meta-
morph.

*Sternuntur segetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longiq; perit labor irritus anni.
Expatiata ruunt, per apertos flumina cã-
pos,*

*Cùmq; satis arbusta simul, pecudèsq; vi-
ròsq;*

*Tectaque, cùmque suis rapiunt penetralia
sacris.*

*Siqua domus mansit, potuitq; resistere tanto
Indiecta malo, culmen tamen altior huius*

Vnda tegit, pressaq; latet sub gurgite turres.

Hæc inundationis facies, pro impatientibus videtur perorare. Quæ tamen si oculis æquioribus aspiciatur, Dei causam agit. Ex inundationibus quippe istis cognoscimus, quanta sit Numinis cura, ne sæpius exorbitent vel flumina, vel maria. Totum enim

mun-

mundum perditum irent aquæ, nisi à DEO
cohiberentur, vel inde laudabili, quia *ligat* Iob 26. 8.
aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter Pf. 32. 7.
deorsum, & terminum circumdedit aquis, usq̃
dam finiatur lux & tenebræ; congregans, sicut
in utre, aquas maris: ponens in thesauris abyssos.
Estque planè mirabile, in sublimi, & supra
aërem nubes & imbres, aëre longè grauio-
res, suspendi, nec simul ruere, nec semper.
Vnde & Salomon interrogat: *Quis colliga-* Prou. 30.
uit aquas, quasi in vestimento? Admirationi 4.
erat, Romæ, Tuccia virgo Vestalis, incesti Plin 1. 28.
criminis rea, cum aquam cribro hausit, an- cap. 2.
no 609. Quod longè maius est, in nubibus
videmus aquas portari deorsum non deci-
dentes, & non miramur? At tum demum
experimur beneficij magnitudinem, cum,
rupta nube, nimbi, toto impetu, cadunt,
aut flumina, vel maria limites suos trāsgre-
diuntur, omniāq; obruunt. Ex damno enim
æstimamus, quid sit, damno liberari: & be-
neficia nubium nocuentis commendan-
tur. Pari pacto, qui subitis inundationibus
aquarum inuoluuntur, discunt agnoscere,
quanti sit cohibitio inundationis facienda.
Ea autem cohibitio, tot annos & sæcula,
durat, & non admiramur? opus planè est
omni-

omnipotentis, & naturam ipsam vndarum refrænantis. Cùm enim natura aquis locũ tribuerit supra terram; nisi naturæ author aquas, velut in vtre congregasset, ijs utiq; subsidentes terræ omnes vndique cooperirentur. Id ne fiat, diuina manus obstat. At, quia aquas tam diu domitas aspicimus, consuetudo nobis ademit admirationem.

§. VI.

Quantum admirati sint SS. Patres terminos aquarum à Deo positos, ne transirent fines suos?

S. Ambr.
orat. de o-
bitu Sat-
yri.

Sed non ademit S. Ambrosio dicenti:
Nonne omnes Dei gratiam jure miramur, cùm aduertimus, quòd insensibilis natura, quadam sensibili ratione, suos fluctus coërceat, & fines suos vnda cognoscat? Nec ademit admiratione

**S. Chry-
sost. hom.
ad pop.**

S. Chrysofostomo; qui cùm videret mare, intra fines suos, non esse tranquillum, sed turbatum, & ferox, & vndosum, & in morem montiũ, procellis metuenda altitudine erectum, ac, resonante vnda boans, admirari satis non potuit sapientissimam diuinæ virtutis potentiam, quæ, multis locis, tantæ ferociæ, non rupes & saxa, sed fragilem duntaxat arenam obiecit; quâ tam vehementer impetus excipitur, frangitur, & eò, vnde

irruit,